



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Bonacinæ Vtrivsque Signatvræ Referendarii
Compendium Omnim Operum de Theologia Morali,
omnibusque conscientiæ nodis**

Bonacina, Martino

Coloniæ Agrippinæ

Bestialitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41152

log. existimat, post Trident. sententiam Cajet. posse teneri : propterea quod non facile possit judicari, an dispensatio obtenta sit ex causa legitima, an non.

Quæres: Quod si aliquis habens plura beneficia injusta de causa, non agnoscat ea in re in confessione se esse culpabilem, num talem Confessarius tenetur examinare de pluralitate?

Respond. teneri, si ille vel scrupulum sibi faciat aliquem, ob pluralitatem, vel consilium petat à Confessario, vel ex oblivione, & negligentia videtur se non agnoscere culpabilem. Si autem credatur, quod existimet se plura beneficia obtinere legitimè, non tenetur illum examinare, ut docet Navar. lib. 1. conf. qu. 20.

Bestialitas.

1. Bestialitas est conjunctio carnalis cum re alterius speciei, ex g. cum bruto, vel cum dæmonie: cum quod fieri potest congressus, vel comparente in forma bruti, vel in forma hominis, vel foeminae: ob id dicitur fieri vel cum dæmonie incubo, vel cum dæmonie succubo: & hoc peccatum præter malitiam bestialitatis, habet malitiam superstitionis, immo & fornicationis, si dæmon transferat semen alicuius hominis in vas naturale mulieris, ex quo foetus aliquis generari potest. tom. 1. de iis, qua pertinent ad usum matrim. qu. 4. punct. 12. num 1. & seq.

2. Peccatum bestialitatis non differt specie pro diversitate belluarum cum quibus perpetratur: unde non est necessarium in confessione exprimere belluam, sed sufficit dicere, se congrellum fuisse cum bellua, seu re alterius speciei. Ibid. num. 4.

Bigamia, Bigamus.

Vid. v. Irregularitas, Matrimonium.

1. Bigamia est quædam irregularitas consurgens ex multiplici matrimonio contracto & consummato. Triplex est bigamia: vera, interpretativa, & similitudinaria. tom. 1. de Irregularitate, disp. 7. q. 2. punct. 5. n. 1. & 2.

2. Vera bigamia est, quando quis verè duas uxores legitimè duxit & cognovit carnaliter, sive duxerit ante Baptismum, sive post Baptismum. Ibid.

3. Interpretativa est, quando quis revera non contraxit